

HYMNORUM NATURALIUM **LIBER PRIMUS****IOVI OPTIMO MAXIMO**

H1\_01 v.1 Ab Jove principium : Jovis est quodcumque movemus ;  
 2 prima mihi graviore sono dicenda potestas  
 3 est Jovis : hinc magni divum tot numina mundi,  
 4 hinc rerum natura parens, hinc lucidus aether,  
 5 quaeque sub incurvo variantur plurima caelo.  
 6 Sed neque Pieridum praesentia vatibus antra  
 7 nec tu, care, satis nostris, Pimplee, Camenis  
 8 Parnasusque biceps facundaque flumina largae  
 9 Phocidos : ipse animum vati, mentem ipse ministra,  
 10 sancte pater, sive aethereo delapsus Olympo  
 11 enthea divino praecordia concutis oestro  
 12 ignotasque vias aperis teque ipse recludis  
 13 sive jubes cinctum solis caput igne tuentem,  
 14 ingenio mentisque oculis ad inane levatis,  
 15 eminus infirmi quaesitum ostendere in umbra  
 16 effigiemque tuam primos et ducere vultus.  
 17 Nam, quamvis solusque repleas solusque gubernas  
 18 omnia et occasus aequae moderaris et ortus,  
 19 quamvis quicquid adest, quodcumque ubicumque videmus,  
 20 ipse idem es penitusque nihil nisi Juppiter usquam,  
 21 quis tamen infirmi comprehendat pectoris haustu,  
 22 quem mare, quem tellus, vacui quem nubila caeli  
 23 non capiunt sanctique patens plaga lucida regni ?  
 24 Effugit humanos divina potentia fines  
 25 mortalesque hebetat captos et pectora pigra,  
 26 ex quo caelicolae, natali sede relicta,  
 27 invalidos artus terrenaque membra subimus,  
 28 corpoream jussi molem compage tueri.  
 29 Nam, simulac tenebris et inertis carcere clausi  
 30 mortiferum Stygiae somnum potavimus undae,  
 31 excidit offecto solidum de pectore verum,  
 32 pro rebusque leves nequicquam amplectimur umbras,  
 33 antiquae patriae ac verae rationis inanes.  
 34 Hinc rapit ambitio, rapit hinc furiosa libido,  
 35 inde metus bella aspra movent et gaudia et irae  
 36 raraque in humanis non mendax gloria rebus.  
 37 Ipsi, inter facies simulacraque mille ferarum  
 38 impia Circaeae depasti pocula mensae,  
 39 obscenis stabulamur haris, nec tecta paterna  
 40 respicimus dulcemque Ithaco de culmine fumum,  
 41 jam pridem in foedas dociles transire figuras ;  
 42 sed te moly tamen nobis tribuente beatum,  
 43 securi dominae atque dapis, qua numina monstrant,

44 nitimur immensum venerari carmine puro,  
45 et rerum auctorem dominumque agnoscimus aethrae,  
46 quem non principium, non ulla extrema fatigant,  
47 expertem ortus atque obitus ; qui cuncta gubernas  
48 nescius imperii totusque in te ipse vicesque  
49 despicias aeternus et tempora sufficis aevo,  
50 unigenam sancto prolem complexus amore  
51 aeterno aeternam et perfectam, labe carente,  
52 cui rerum late custodia tradita cessit  
53 et regni tutela tui, consorsque potestas  
54 temperat acceptas sine fine et tempore habenas ;  
55 qui varios rebus tribuis nascentibus ortus,  
56 qui sua naturae praescribis jura potenti,  
57 qui terras, caelum, aera, aquas, vertisque regisque  
58 contentusque tua varias quaecumque quiete,  
59 mille per augustum spargens miracula mundum.  
60 Nam, cum tota gravi torperet machina acervo  
61 Noxque Chaos densis circumdaret atra tenebris  
62 perque superjectas volitaret spiritus undas,  
63 mole recens orta, et vacuum sola inane teneret,  
64 primus opes bonus ipse bonas partiris in orbem  
65 squallentemque novo massam fulgore serenas  
66 et tenebras luce et tenebris lucem eximis atris  
67 appellasque diem et nocti sua nomina ponis,  
68 Primus aquis secernis aquas caelumque profundum  
69 erigis aequoreasque jubes discludere moles ;  
70 tum mare substernis tumidum, tum lege verenda  
71 imponis finesque suos et littora Nereo  
72 aridaque ostentas mediis sola prodiga in undis :  
73 apparent subitae, dictu mirabile, terrae,  
74 divitiisque suis capitur justissima Tellus  
75 atque animum facies movet et variantia rerum  
76 (nanque videbat uti modo caelum tangeret ipsum  
77 rupibus aeriis, ima modo valle dehiscens  
78 infernum Chaos et nigrantes proderet umbras,  
79 nunc sola pacato diffunderet aemula ponto  
80 temperie verisque opibus foecunda benigni :  
81 seque repentinis fluviorum spectat in undis) ;  
82 tum nova suspendis rutilanti sidera mundo  
83 anguesque volucresque et Pleadas Atlanteas,  
84 utque pruinosi lunares noctibus axes,  
85 portantem Aurorae praeponis lumina Solem,  
86 Solem sidereae moderantem frena choreae,  
87 obliquumque jubes currus agitare per orbem ;  
88 tum liquidum mutis fecundas piscibus aequor  
89 aeriumque leves spargis per inane volucres,  
90 tum latas replere jubes animalia sylvas  
91 deque solo genus humanum producis inertis  
92 et mentem inspiras melioris origine formae,  
93 cui quicquid mare, quicquid habent sola subjicis ipsa,  
94 exutosque olim terrenae pondera molis  
95 rursus in antiquam patriam das posse reverti,  
96 unde hominum curas tot despectemus inanes  
97 incertasque vices rerum metuendaque fata  
98 et quanta mortale genus nox occupet umbra.  
99 Salve, sancte parens, vere pater optime rerum,  
100 vere opifex, terraeque mala compage gravatos  
101 dum data vincla nefas dirumpere carceris atri,

102 eripe tot pelagi jactatos tristibus undis,  
103 tot caecis pressos tenebris, pater ; exue vota  
104 impia ; nil vanum, nil admiremur inane,  
105 antiquae memores patriae ; et quem corporis aegri  
106 non licet, ingenii quaeramus lumine puro.

#### PALLADI

H1\_02 v.1 Te te, suprema maximi proles Jovis,  
2 innupta Pallas, invoco,  
3 hastae potentem nobilis viraginem,  
4 quam Phorcis asperat ferox,  
5 cum multilingue sibilis quassans caput  
6 procul profanos submovet.  
7 O sola rerum, o lucidi domina aetheris,  
8 o caelitum sanctum decus :  
9 huc huc duelli, pacis huc ades potens,  
10 seu te tyrannicum solum et  
11 vicina templa rupibus Telonicis  
12 seu fertilis Nilus tenet,  
13 sive alta Itoni saxa sive argenteis  
14 vorticibus Inachus pater,  
15 sive in remotis optimi regnis patris,  
16 dignata mortales parum,  
17 aevum beata ducis et nutu omnia  
18 heres paterna temperas :  
19 quo non Metus, non iniques penetrat Dolor  
20 dubiisve Senium gressibus  
21 aut sidus anni noxium aut Auster gravis  
22 morbis domesticis sinum,  
23 sed cuncta vere germinant semper novo  
24 vicis malignae nescia,  
25 et nunc fluentis irrigantur lacteis  
26 nunc melle passim Hymettio.  
27 At ipsa curru flammeo septemjugo,  
28 ter auream quassans comam,  
29 longum citatas huc et huc agis rotas  
30 ausis tremenda masculis :  
31 subsidit aether ipse, contremittit fretum,  
32 emota respondent sola.  
33 At, quae trecentae virginis stipant latus  
34 olea revinctae candida,  
35 pars haeret uno fixa in obtutu deae,  
36 tam forti ab ore pendula,  
37 aliae aut recenti lilio aut spargunt rosis,  
38 quod quaeque potis est conferens.  
39 Has pater Homerus inter atque Orpheus pater,  
40 uterque plectro adamantino,  
41 partum Chariclus subsequuti nobilem,  
42 laudes heriles concinunt :  
43 ut sola patris vertice ex ipso edita,  
44 hominumque origo et caelitum,  
45 prima et nefandos aggeres disjeceris  
46 audax paternis ignibus,  
47 ipsumque fratrum maxime Enceladum trucem,

48 non ante equestris cognita,  
 49 stagnis profundi Tartari demiseris,  
 50 mirante monstrum patruo ;  
 51 prima inquietis gentibus certas domos  
 52 stabilemque dederis patriam,  
 53 prima arce, prima moenibus ditaveris,  
 54 prima optimis tot artibus.  
 55 Tu sancta prima jura, tu legem invenis,  
 56 commenta vim dignam malis,  
 57 tu prima mentes compari nectis jugo,  
 58 tu propria tribuis pignora,  
 59 tu celsa raptos tollis ad templa aetheris,  
 60 tu patriam antiquam doces  
 61 caelumque patrem maximum rerum omnium  
 62 curis caducis subjicis.  
 63 Salve, beati lucidum germen patris,  
 64 vere Phaneta splendide,  
 65 eadem virago, mas eadem, eadem furor,  
 66 sapientiaque eadem et quies,  
 67 animisque nostris ades et atra nubila  
 68 discute tua immensa face.

#### AMORI

H1\_03 v.1 Alme caelestum genitor potensque  
 2 aetheris lati volucer Cupido,  
 3 splendidum sidus geminaeque duplex  
 4 gloria matris,  
 5 quem modo insanis agitata ventis  
 6 stagna delectant mediisque in undis  
 7 improbus Phorci nimia puellas  
 8 lampade aduris,  
 9 nunc ab extremo peragrans Eoo  
 10 ultimas Gades Lybiamque et Arcton  
 11 dulcibus rixis et amico amaro  
 12 pectora versas,  
 13 saepe magnorum medius deorum  
 14 aethera immensumque tenes Olympum,  
 15 hic ubi missa superos sagitta  
 16 flectis et ipsum  
 17 arbitrum rerum dominumque patrem,  
 18 cujus auditum procul omnis horret  
 19 caelitem pubes, procul omnis horret  
 20 machina nomen.  
 21 Quid, quod et novas Chaos in figuras  
 22 digeris primus docilemque rerum  
 23 mutuis nectis seriem catenis  
 24 pace rebelli ?  
 25 Quid, quod, antiqua superata Anance,  
 26 suscipis mundum placidum regendum ?  
 27 Quid, quod et leges et habenda jura  
 28 figis inermis,  
 29 quod peregrinas animas caducae  
 30 devocas massae populumque inertem  
 31 edoces terris hominum salubres

32                   jungere coetus,  
 33       quod pias magnum per inane mentes  
 34       aureae sistis gremio parentis,  
 35       Gratiarum inter comites choreas  
 36                   servaque fata ?  
 37       O quies magnae reparatioque  
 38       grata naturae columenque rerum,  
 39       o adoratum mihi rite primis  
 40                   numen ab annis :  
 41       huc ades tandem, puer o beate,  
 42       dexter, et caecos miseratus aegri  
 43       pectoris motus, agedum, profanis  
 44                   exime curis.

### CAELITIBUS

H1\_04   v.1       Audi, beatum sancta caelitem cohors,  
           2        quae templa Olympi possides  
           3        stabileque in aevum lucidas ambis Jovis  
           4        rota domos novemplici  
           5        (rutilis verenda vultibus, rutilis genis,  
           6        comaque rutila et vestibus,  
           7        tereti diurnae lampados qualis face  
           8        nubes coruscat obvia  
           9        aut cum, cubile frigidum linquens, diem  
 10        Aurora sub novum rubet,  
 11        quotiens reductis excitat laboribus  
 12        mortalium aegra pectora,  
 13        quae dulcis olim presserat somno quies  
 14        curis soluta edacibus) ;  
 15        audi, beata imago Pallados bonae,  
 16        templum beatum Pallados,  
 17        cujus secuta qua licet vestigia,  
 18        sequentibus ducem exhibes  
 19        nostrisque vinclis libera atque onere gravi,  
 20        quo premimur infirmum genus,  
 21        supra malignae servitutis terminos  
 22        caeli pererras ardua,  
 23        utcumque constans firmitate mascula,  
 24        cedente nunquam pectore :  
 25        et nunc labores et caduca protinus  
 26        sceptra miserata gentium,  
 27        modo labantis sustines Atlantico  
 28        gravia ruinae pondera ;  
 29        nunc mille inertes excitas mysteriis,  
 30        ignara livoris mali,  
 31        caecoque mentes involutas carcere  
 32        nota profani submoves ;  
 33        jam tum procellis debitam furentibus  
 34        benigna sublevans ratem,  
 35        mediisque nimbis et freti fragoribus  
 36        Arcton serenas candidam.  
 37        Verum huc, beata caelitem, huc ades, virum  
 38        sanctissima expiatio,  
 39        tuaque fotos optima tandem face

**AETERNITATI**

H1\_05 v.1 Ipsa mihi vocem atque adamantina suffice plectra,  
 2 dum caneris, propiorque ausis ingentibus adsis,  
 3 immensi regina aevi, quae lucida templa  
 4 aetheris augustosque tenes, augusta, recessus,  
 5 pace tua late pollens teque ipsa beata,  
 6 quam pariter flavos crines intonsa Juventa  
 7 ambit et indomitum nitens Virtus pede aeneo,  
 8 altera divinis epulis assistere mensae  
 9 purpureaque manu juvenile infundere nectar,  
 10 haec largas defendere opes et pectore firmo  
 11 tutari melior fixos in saecula fines  
 12 hostilesque minas regno propellere herili ;  
 13 pone tamen, quamvis longo, pone, intervallo,  
 14 omniferens Natura subit curvaque verendus  
 15 falce senex spatiisque breves aequalibus Horae  
 16 atque idem totiens Annus remeansque meansque,  
 17 lubrica servato relegens vestigia gressu.  
 18 Ipsa autem, divum circumstipante caterva,  
 19 regales illusa sinus auro atque argento,  
 20 celsa sedes solioque alte subnixa perenni  
 21 das leges et jura polo caelestiaque aegris  
 22 dividis et certa firmas aeterna quiete,  
 23 aerumnis privata malis, privata periclis.  
 24 Tum senium totis excludis provida regnis  
 25 perpetuoque adamante ligas fugientia saecula,  
 26 amfractus aevi varios venturaque lapsis  
 27 intermixta legens praesenti inclusa fideli,  
 28 diversosque dies obtutu colligis uno :  
 29 ipsa eadem pars, totum eadem ; sine fine, sine ortu,  
 30 tota ortus finisque aequae ; discrimine nullo  
 31 tota teres, nullaque tui non consona parte.  
 32 Salve, magna parens late radiantis Olympi,  
 33 magna deum, precibusque piis non dura rogari,  
 34 aspice nos (hoc tantum !) et, si haud indigna precamur  
 35 caelestique olim sancta de stirpe creati,  
 36 adsis, o, propior, cognatoque adjice caelo.

**BACCHO**

H1\_06 v.1 Agedum, canite patrem, Thespiades, mihi Bromium,  
 2 sobolem igneam Jovis, quem peperit bona Semele  
 3 Puerum coma praesignem et radiantibus oculis.  
 4 Evoe ! Sonant furenti mihi pectora rabie  
 5 nimioque deo plenus concutitur gravis animus.  
 6 Evoe ! Date cymbalum huc, huc date cornua querula,  
 7 cingat virentem mihi taenia viperea comam,  
 8 comam diffusam animis Aeoliis hederigeram,  
 9 quam hinc mille secutae atque illinc trepidante pede sacro,

10       ululent citatis Edonides usque tripudiis  
11       valido sub thyrso jacentes vi capita fera,  
12       Evoe ! sessore pandi geminante quadrupedis.  
13       At ipse vagus, anhelans, animo duce nimio,  
14       totus nova plenus mente, per avia nemora  
15       orgia praecedam acutis celebrans ululatibus,  
16       orgia verendis arcana recondita calathis,  
17       penitus quae sanctis frustra captes sine initiis,  
18       novies perpeesus sacra Castalidos vada vitreae.  
19       Jam jam citatis terrae reboant sola pedibus  
20       oculisque negat medium nubes pulvereae diem,  
21       gregibus cinctutis euhantum deproperantibus :  
22       fugiunt deserta turbatae per nemora ferae,  
23       regio volucres nec sustinet aetheria suas.  
24       Evoe ! Impotenti thyrso gravis, alme Dionyse,  
25       Martie, bicornis, rex, omnipotens, femorigena,  
26       mystice, Thyoneu, ultor, solivage, Euhie, satyre,  
27       Genitor deorum idem atque idem germen amabile,  
28       Nyctelie, multiformis, hymeneie, nomie,  
29       Gemine, hospitalis, Liber, pater optime maxime :  
30       domitus quem Ganges, quem gemmea marmora pelagi  
31       sensere primi, cui cessit terrigena cohors  
32       Rhoetusque Mimasque, qui Penthea, qui male nimium  
33       adigis Lycurgum tandem sua pendere scelera  
34       ausosque deum in tenero nautas fallere puero.  
35       Nam, quid corymbis surgentia stamina subitis  
36       dominasque dicam nequicquam denique trepidas  
37       sceleri quaerentes per noctis opaca latibula ?  
38       Quid, sera licet, non neglecta piacula Acrisii ?  
39       Tu, sancte, flectis amnes truculentaque maria,  
40       ruptisque rotas decurrentia Chia lapidibus,  
41       tu mella primus nova colligis ilice sterili,  
42       tibi vomer uncus debet, tibi spicifera Ceres,  
43       tibi jura, tibi urbes, tibi mens bona nescia sceleris,  
44       tibi impotentis male perpetiens animus heri,  
45       tu robur consilio addis, tu numina supero  
46       reperis Olympo primus, tibi sancta Mimallonum  
47       cohors insomni lustrant gelidam pede Rhodopen,  
48       nimio divulsos raptantes impete vitulos,  
49       tibi mille vatium praecordia sortilega fremunt,  
50       tibi ager viret almus, tu florea prata tepetibus  
51       Zephyris coloras, tu dissona seminia ligas,  
52       tu saecula mundo semper fugientia reparas  
53       Longa juventa, tu libras pondera machinae  
54       medioque terram suspendis in aere stabilem,  
55       per te remota caeli procul ardua colimus,  
56       nimio diffusi praecordia nectare gravia,  
57       tu das deorum sanctis accumbere dapibus.  
58       Salve, benigne lychnita, deum et pater hominum,  
59       animoque dexter tua mystica rite colentibus  
60       adsis, tuis non sine amoribus et Themide bona,  
61       Themide nympharum stipata Corycidum choris.

## HYMNORUM NATURALIUM **LIBER SECUNDUS**

### **PANI**

H2\_01 v.1 Divae, supremi progenies Jovis,  
2 tuque, o choreae, Pieri, dux sacrae,  
3 sortita frondosum cacumen,  
4 Calliope, nemorosi Olympi,  
5 adsis canori pectinis arbitra,  
6 sive hoc sub antro sive sub ilice hac  
7 motura concentus loquaces,  
8 dum medio tacet aura sole,  
9 quos feta tigris, quos leo Parthicus,  
10 mixti maritis innocui gregis,  
11 mirentur, offensae prioris  
12 immemores solitaeque praedae,  
13 ruptoque praeceps Arnus ab aggere  
14 sistat citatum cursibus impetum,  
15 longis et ad vocem resultent  
16 carminis aeriae cupressus :  
17 seu tu Gigantas fulmine praepeti  
18 caelo repulsos dicere seu velis  
19 cantare Latonae potentem  
20 progeniem celeris sagittae  
21 seu bellicosae Pallados aegida  
22 victas et urbes seu potius jugis  
23 gaudentem intonsi Lycaei  
24 Pana, vagi pecoris magistrum,  
25 qui per nivosi devia verticis,  
26 qua nulla presso stat pede semita,  
27 rupesque inaccessas capellis  
28 virgineas agitatur choreas,  
29 novisque semper concitus ignibus  
30 blandum novena cantat arundine,  
31 auditus a primis Eoi  
32 sedibus Hesperio colono,  
33 quod nec virenti tecta sub arbore  
34 aequet volucris garrula nec citas  
35 cantando consuetae morari  
36 voce rates triplici puellae.  
37 At, cum renidens Hesperus os sacrum  
38 de matris unda Tethyos extulit  
39 spargitque Lethaeos per orbem  
40 nox tenebris adoperta somnos,  
41 tum vero quantus caelicolis patet  
42 modo huc citatis curribus, huc modo,  
43 quaecumque sub caelo salubri  
44 mente pater peragrat fovetque !  
45 Quem pone longo scilicet ordine  
46 ingens deorum subsequitur chorus,  
47 censi sub undenis magistris,  
48 aede bonam remorante Vestam ;  
49 donec sereni verticibus sacris  
50 accepti Olympi, corpora de via  
51 lassata succussuque longo



52       Ambrosiae dapibus refirmant :  
 53       illic vicissim nunc epulis diem  
 54       terunt, soluti morsibus asperis  
 55       curarum et insomnis querelae,  
 56       nunc pateras iterant capaces,  
 57       largoque blandi nectare carminis  
 58       donante vires, te recinunt patrem  
 59       terraeque ventosique Nerei,  
 60       Pan bone, te genialis Aethrae.  
 61       At ipse inertis nunc pigra machinae  
 62       fulcisque alisque et foedere mutuo  
 63       triplex et hinc triplex per artus  
 64       fusus habes agitasque molem,  
 65       nunc consonanti dissona semina  
 66       quiete firmas, nunc nitida infimis  
 67       diversa non una catena  
 68       consolidas et aquarum et aerae,  
 69       nunc plena Baccho pectora fertilis  
 70       Chaos tenebris multivolum explicas,  
 71       nunc caeca tot mundi malignis  
 72       membra modis operosus ornas,  
 73       cunctisque largus, nec tamen ullius,  
 74       fixis coherces omnia legibus,  
 75       nec fine finis nec priore  
 76       seminio, pater omnium idem.  
 77       Salve, deorum maxime, Pan pater,  
 78       Pan rite et idem rite Diespiter,  
 79       molisque securis caducae  
 80       da, pater, ingenium salubre.

## CAELO

H2\_02   v.1       Audi, felix patria superum,  
           2       omnia ferens, omnia continens,  
           3       Munde pater, sedes alta Jovis :  
           4       qui par nulli, similis uni,  
           5       in te totus, tuus es totus ;  
           6       fine carens, terminus omnium,  
           7       Longo terras circum ambitu  
           8       opibusque late pollens tuis  
           9       sortis degis nescius aegrae ;  
 10       qui Naturae sancta potentis  
 11       ipsos vocas sub juga caelites ;  
 12       totus teres undique et integer  
 13       sua cunctis semina dividis.  
 14       Tu prona, pater, saecula parturis  
 15       indefessam terens orbitam,  
 16       tu perpetua cuncta catena  
 17       prima sollers nectis ab aethra,  
 18       pater incertum rexne melior.  
 19       O sanctissime deorum pater,  
 20       pater Naturae, adsis, precor, et,  
 21       utcumque mihi rite vocatus,  
 22       tua dexter nos ope sospita.

## STELLIS

H2\_03 v.1 O saepe rerum perpetuas vices  
2 mirata mecum, dic, agedum, dea,  
3 stellas et influxu tenaci  
4 cuncta jubar variare pollens.  
5 Nam, sive mundi prima orientis et  
6 ruptis creatos illicibus viros,  
7 cum primum in ignotas recessit  
8 gleba recens animata formas,  
9 seu longa deinceps saecula revolvimus,  
10 hinc omne principium omnibus, hinc modus,  
11 quaecumque vitali sub aura  
12 sol videt exoriens cadensve ;  
13 hinc tot beatis terra nitet bonis,  
14 hinc inquietis semina fluctibus,  
15 hinc ros et imbres, hinc sororum  
16 stamina perpetienda cunctis.  
17 Nam, cur inertis numina nenia  
18 et nocte frustra obtundimus et die  
19 Jovemque ridentem precesque  
20 totque supervacuas querelas ?  
21 Colendus ille est : sed trahit omnia  
22 vis saeva fati turbinis in modum aut  
23 de monte torrentis nivali  
24 praecipites rapientis ornos,  
25 ipsoque patrum semine protinus  
26 haurimus aevi laeta dolenda, nec  
27 discedit a prima supremus  
28 lege dies variatve discors.  
29 Atque hic paterno gaudet humum bove  
30 vertisse et ulmis nectere pampinos,  
31 hic arma sectatur tubasque,  
32 Hic Cypriae melior carinae ;  
33 alter benignis sideribus potens  
34 repente clarum tollit humo caput,  
35 daturus exemplum ruina  
36 forsitan immoderatae habenae ;  
37 ille, ominosa sic rapiente vi  
38 astrorum, honestos dedecorat patres  
39 et parta majorum labore  
40 dilacerat male faustus heres.  
41 At ipsa caelo lucida sidera  
42 affixa cursus deproperant suos,  
43 secura privati laboris,  
44 dum stet opus solida catena  
45 naturae et aeterni imperium Jovis  
46 fixum per omnes lege dies data,  
47 gaudentque nil prorsus relinqui  
48 alterius moderandum habenis.  
49 Gaudete, Noctis progenies sacra,  
50 Stellae beatae : nos procul a domo  
51 quae fata nascenti dedistis  
52 interea miseri feremus.

## SATURNO

H2\_04 v.1 Saturni celebres dies  
2 adsunt et resonant cuncta mero simul,  
3 simul laeta licentia  
4 aetatis memori scilicet aureae ;  
5 nos sicci tamen, ac velut  
6 nunc demum patriae moenia fax voret,  
7 cessamus neque tempora  
8 et pronos miseri respicimus dies.  
9 Profer, Hylle puer, cadum ;  
10 da vati citharam : pecten ubi aureus,  
11 lauri mnemosynum mei,  
12 et blandum resonans par lyra pectini ?  
13 Nil insigne nisi juvat  
14 indictumque : juvat dicere saecula  
15 fortunata dei ac sua  
16 crescentem Cererem sponte, nec annuae  
17 curae debita semina,  
18 et lactis nivei flumina, flumina  
19 larga nectaris Attici,  
20 cum Pax atque Fides casta per oppida  
21 visebant hominum domos,  
22 nec possessa diu imperia hospiti  
23 pigebat dare strenuo.  
24 Nam, quid majus habent caelicolae patre  
25 Saturno Jovis optimi  
26 (eodem magnanimo patre Jovis, Rheae  
27 eodem conjuge maximo,  
28 quam de taurisono bellipotens sinu  
29 Pater Protogonus dedit  
30 terrarumque parentem et liquidi aetheris) ?  
31 Quis aequae est alius potens,  
32 idem cuncta dare atque idem alere omnia,  
33 idem, cum libet, omnia  
34 Parcarum memori lege resolvere ?  
35 Quis fecundior ingeni  
36 largitor, solidae quis retinentiae,  
37 quis et pauperiem pati  
38 et niti melior cum duce, par duci ?  
39 Hic, seu casta magis juvant,  
40 felix casta sequi, seu taciturnitas  
41 et tenax animus sui,  
42 observare bonus tuta silentia ;  
43 Hic suspendere fertili  
44 sollers vomere agros, hic sua semina  
45 doctus fertilibus dare  
46 terris et veteres Chaonias dapes  
47 blandis vertere frugibus ;  
48 quin, quamvis senio debilis et situ  
49 annorum, nihilominus  
50 et fundare domos strenuus et semel  
51 collectam rabiem impigre  
52 exercere modis omnibus efficax.  
53 Saturne, optime maxime,  
54 Saturne omnipotens progenitor deum,

55           absint hinc procul, o, procul,  
56 et lugubre odium, sancte, precor, tuum  
57           et vis saeva : alios minae  
58 importunae, alios ira premat tua.

#### JOVI

H2\_05 v.1 Juppiter pie, Juppiter  
2 benigne, optime Juppiter,  
3 qui tuo nitidum aethera  
4 ambis igne beato :  
5 te cano placidum patrem  
6 terrarum, placidum aequoris,  
7 largum, quicquid ubique adest,  
8 fertili dare dextra,  
9 sive augere libet novis  
10 glebas seminibus rudes  
11 sive enata salubribus  
12 fortunare alimentis ;  
13 et nunc saeva repellere  
14 sylvis flabra virentibus,  
15 nunc laetum sata commodo  
16 culta spargere rore,  
17 nunc rigentia flumina  
18 dura solvere compede,  
19 nunc defendere Syrium  
20 aegris pulverulentum  
21 terris et pecori mala  
22 momenta, arboribus mala,  
23 cum semel rabiem improbam  
24 tellus sideris hausit.  
25 Sed nec vere novo thyma  
26 complecti numero queam  
27 aut quas saevus Atabolus  
28 olim torquet arenas,  
29 nec, si lingua adamantina  
30 sonet, vox adamantina,  
31 tuas expediam tamen  
32 laudes et benefacta :  
33 aut cum falciferi patris  
34 Almo sidere temperas  
35 minas et rabiem feram,  
36 quo non saevior alter,  
37 seu libet misera lue  
38 urbes polluere integras  
39 sive fasque nefasque gravi  
40 involvisse ruina ;  
41 aut cum, fraude procul mala  
42 pulsa, nequitia procul,  
43 idem legibus omnia,  
44 idem moribus ornas  
45 (at lugubre nefas vada  
46 horret tristificae Stygis  
47 rotamque et capiti improbo  
48 imminetia saxa).

49 O caeli decus, o potens  
50 votorum et triplicis boni,  
51 salve, rite vocantibus  
52 felix, Juppiter alme.

### MARTI

H2\_06 v.1 Antiqua Codri progenies, licet  
2 hinc arva bubus mille teras tuis,  
3 hinc dite seponas in arca  
4 quicquid Arabs vehit aestuosus,  
5 frustra clientum dinumeres greges  
6 et consulari praemia purpurae,  
7 frustra renidentes curules  
8 et veterum decora alta patrum,  
9 ni cuncta prudens dis referas bonis :  
10 hos nocte, castis hos precibus die  
11 supplex adores, hos in omne  
12 tempus open veniamque poscas,  
13 nec vero, siquid durius accidit  
14 (quae multa vitae fert varius tenor)  
15 spem praeter, iccirco labare  
16 relligio pietasque debet.  
17 Nam nec perenni terra viret coma  
18 et saepe sudo nunc capimur brevi,  
19 nunc frustra inundantes procellae  
20 terrificant redeunte sole.  
21 Quare, tot olim quanquam opibus patrum  
22 excussi Etrusco carpimur otio,  
23 dic, sancta, dic, Clio, parentum  
24 laude patrem solita Gradivum,  
25 heu, tot suorum quem miserae juvant  
26 clades, repulso Strymone Thracio  
27 tectisque Byzanti superbis,  
28 tristia dum fovet arma Turcae.  
29 Sed quid benignae non faciunt preces ?  
30 Forsan minarum desinet hic quoque  
31 jam tandem et oblitus peracti  
32 respiciet propior nepotes.  
33 Tunc me nec Orpheus carminibus pater  
34 aequet canentem nec pecorum deo  
35 laudatus aestiva sub umbra,  
36 multiloquae fidicen Camenae,  
37 quanquam sonoris hic fidibus rudes  
38 duxisset ornos et vaga flumina  
39 frenasset, hunc dignatus ipse  
40 ultro epulis decimaque Phoebus :  
41 sed plena solvens pectora numine,  
42 dicam arma, plectro dicam adamantino  
43 currus et adversa jacentem  
44 cuspide terrigenam cohortem,  
45 cum, saeva cunctis bella timentibus  
46 superque moles molibus additas  
47 (sic prima nil virtus perhorret !)  
48 Mars cuperet tamen arma solus,

49 Mars tunc Olympo primum oculis patris  
 50 admissus, alta sub Rhodope puer  
 51 Haemoque adhuc suetus leones  
 52 cominus exagitare aprosque.  
 53 Ut vero cunctos ancipitis mali  
 54 concussit horror Terraque partibus  
 55 superba crescebat sereno  
 56 jam propior propiorque caelo,  
 57 "Quid, o, quid annos digeritis rudes ?  
 58 An sic creari nil", ait, "ab Jove est"  
 59 Paean, "O aeternum carentes  
 60 morte dei et bone rex deorum ? "  
 61 Simulque et ense dat puero et galeam  
 62 aeratam et hamis undique nexilem  
 63 auroque lorica tralicem,  
 64 Aeolii Steropis laborem.  
 65 Excepit omnis regia plausibus,  
 66 Primusque nutu Juppiter annuens  
 67 terrasque concussitque caelum,  
 68 Cynthe, tua domina invidente.  
 69 Et jam profanae versae acies retro,  
 70 jam Terra monstris ipsa suis gravis,  
 71 aeterna quid distent caducis  
 72 senserat et manibus Tonantis  
 73 contorta Rhoeti fulmina fraxinis,  
 74 jam laeta signo sancta deum cohors  
 75 redibat audito receptus,  
 76 arma Jovis pariter canentes :  
 77 at non receptus ille nec imperi  
 78 audit verendi signa, sed improba  
 79 in caede perstabat ferocum  
 80 impatiens animorum et irae,  
 81 ni jam tum et annos et pueri Venus  
 82 mirata dextram, nec faciem minus,  
 83 complexa germanum benignis  
 84 aurea continuisset ulnis.  
 85 Salve, et virorum Mars pater et pater  
 86 armorum, et olim (si merui modo)  
 87 da, quaeso, da, Gradive, pulchraque  
 88 ob patriam atque inopina fata.

#### VENERI

H2\_07 v.1 Jam sat huc illuc, Erato, vagata,  
 2 arte concussas moderante habenas,  
 3 dum per et tractus et inane Olympi  
 4 curris apertum,  
 5 flecte vocales, agedum, quadrigas,  
 6 sancta qua vocat genitrix Amorum ;  
 7 flecte : quis neget genitrici Amorum  
 8 carmina danda ?  
 9 Nunc et auratos bene pone crines,  
 10 tortulum myrto cohibente cirrum,  
 11 nunc et Eois opibus gravatas  
 12 indue vestes,

13 qualis exortu serieque prima  
14 diceris rerum Veneris parentis  
15 donaque et largas cecinisse blando  
16 pectine laudes.  
17 Ante nec terrae facies inert  
18 nec suus stellis honor et sine ullis  
19 aura torpebat zephyris, sine ullis  
20 piscibus unda :  
21 prima de patris gremio Cythere  
22 caeca Naturae miserata membra,  
23 solvit antiquam minimum pigendo  
24 foedere litem.  
25 Illa supremis spatiis removit  
26 lucidum hunc ignem mediasque terras  
27 arte suspendit pelagusque molles  
28 inter et auras :  
29 tunc et immenso micuere primum  
30 signa tot caelo et sua flamina aer  
31 cepit, admirans volucrum proterva  
32 proelia fratrum ;  
33 tunc repentinis freta visa monstris  
34 fervere et nova facie novoque  
35 flore diffusos aperire tellus  
36 Daedala vultus.  
37 Jam greges passim varios boumque ar-  
38 menta, jam pictas volucres ferasque  
39 surgere emotis erat hic et illic  
40 cernere glebis ;  
41 at virum, quamvis etiam labante  
42 aegra plebs genu, meditari et urbes  
43 tectaque et jam tum sociorum amicos  
44 jungere coetus.  
45 Quos ferox inter medios Cupido  
46 acer it, fratrum comitante turba,  
47 callidus quondam petiisse certa  
48 quemque sagitta,  
49 seu libet magnae genitricis alta  
50 templa semota peragrare cura,  
51 seu procellosae per aperta vitae  
52 flectere gressum,  
53 sive, mutato jaculis veneno,  
54 mutuis tactos penitus favillis  
55 carpere et gentis breve ver parata  
56 prole novare.  
57 Ipsa lascivo Venus alma partu  
58 laeta, nunc junctis vehitur columbis,  
59 Eriosque altos et opima Cypri  
60 templa revisens  
61 (ridet et tellus veniente diva  
62 Carpathi et rident freta, nec sereno  
63 sibilat caelo nisi blandientis  
64 aura Favoni) ;  
65 nunc, novis sanctum caput impedita  
66 floribus, plausasque levis choreas  
67 ducit et passim violis scatentem  
68 ter pede nudo  
69 concutit terram : sequitur Juventa  
70 fervidum spirans, sequitur Voluptas

71 prodiga et zonis Charitum renidens  
 72 turba solutis.  
 73 Spectat occulto latitans roseto  
 74 Mars pater simulque cupit videri  
 75 et timet, simul velut igne cera ex-  
 76 udat abitque.  
 77 Nunc ubi currus, ubi amica quondam  
 78 hasta ? Quid tecum, bone dux, roseto ?  
 79 Nempe jam sordent galeae aptiorque  
 80 crinibus herba est.  
 81 Illa tormentisque deique amore  
 82 pulchrior, quam dissimulat videre,  
 83 hoc mage occulta placuisse quaerit,  
 84 callida, ab arte :  
 85 et modo suras teretes reducta  
 86 veste, dum saltat, studiosa nudat,  
 87 et modo pectus reteggit statimque  
 88 claudit eburnum.  
 89 Sed, Venus regina, Jovis propago  
 90 aurea, huc adsis, precor, et maligna  
 91 nocte discussa tua da beata  
 92 visere templa.

#### MERCURIO

H2\_08 v.1 Ergo restabat mihi (proh, deorum  
 2 rex bone !) hoc fatis etiam malignis,  
 3 patria ut Graecus sacra non Pelasga  
 4 voce referrem,  
 5 quique tot saeculis tripodas silentes  
 6 primus Orpheo pede rite movi,  
 7 exul Etrusci streperem sonanda  
 8 vallibus Arni ;  
 9 sed tamen Delphisque meis habenda  
 10 Gratia et Maia genito beata :  
 11 ille nec turpem exilio nec unquam  
 12 passus inertem,  
 13 perque tot terras, mala tot secutus  
 14 per freta huc fatis agitatum et illuc,  
 15 largus et Scythae dedit et Latini  
 16 pectinis usum,  
 17 forsitan, vanus nisi fallor augur,  
 18 et decus labente daturus aevo  
 19 exuli, magni invidiant quod olim  
 20 saepe tyranni.  
 21 Interim, si non patriae beata  
 22 voce, qua grato licitum cadente  
 23 te canam Phoebos, tibi substrepemus  
 24 sideris ortu.  
 25 O potens vatium geminique mundi,  
 26 Mercuri, interpretes, pater, unde primum  
 27 fluxit et nervis honor et decorae  
 28 copia linguae,  
 29 arte dum blanda populos recentes  
 30 caede deterres solita suisque



31 providus sylvis, meliora tandem  
32       quaerere suasos,  
33 inque crescentes facis ire muros  
34 marmora ad vocem citharae bicornis,  
35 dulce subsultim tremuli insecuta  
36       pollicis ictum.  
37 Nam, quid et leges positas et acris  
38 ingeni commenta loquar benigna,  
39 quis sine incassum steterant relictis  
40       oppida sylvis ?  
41 Tu procellosa vagus hospes alno  
42 Adriae curris freta, tu remotos  
43 Gadibus Seras gelidisque donas  
44       Bactra Britannis  
45 impiger mercator, ut omnia omnes  
46 gentibus terraeque ferant et aerae ;  
47 te tuus Janusque forumque supplex  
48       orat avarum,  
49 quique vel penna trepidis vel extis  
50 doctus eventura videre quique  
51 fluctibus sollers numerosque vastae  
52       ponit arenae,  
53 sive quis Graia nitidus palestra,  
54 barbarae miratus opes olivae,  
55 vara Pisaeo redeunte nudat  
56       brachia lustro  
57 sive quis cura meliore felix  
58 aethera atque ipsas animo capaci  
59 concipit stellas positusque caelo et  
60       nomina dicit.  
61 Jam leves somnos dare, jam negare,  
62 vestrum opus ; vestrum, pater Argicida,  
63 nocte sopitis aperire divum  
64       condita fata,  
65 vestrum et aurata revocare virga  
66 sedibus functas animas sepultis,  
67 vestrum et invisi spatii iniquis  
68       reddere Averni.  
69 Salve, io, verum decus exilique  
70 dulce lenimen patriaeque victae,  
71 commodus peraeque animoque gnavo et  
72       rebus agendis.

## HYMNORUM NATURALIUM **LIBER TERTIUS**

### **SOLI**

H3\_01 v.1 Quis novus hic animis furor incidit ? Unde repente  
2 mens fremit horrentique sonant praecordia motu ?  
3 Quis tantus quatit ossa tremor ? Procul este, profani,  
4 este ! Movent imis delubra excussa cavernis  
5 adventante deo et mons circum immane remugit :

6 scilicet antiquas tanto post tempore sedes  
7 dignatur tamen atque situ marcentia longo  
8 antra subit consueta, deum confessus, Apollo,  
9 inspiratque graves animos et pectore magnum  
10 saevit, agens oestro, furiataque corda fatigat  
11 Bacchantum rabie atque agitato mentis anhelio.  
12 Jam mihi, discussa mortali pectore nube,  
13 Parcarum reseratur opus ; jam panditur ingens  
14 annorum series et longum interprete cassa  
15 certatim tenebris quaerunt erumpere fata,  
16 angustumque premunt pariter tot saecula pectus ;  
17 jam mutat vigor atque hominem desuevimus aegrum,  
18 admissi supera depascere lumina luce,  
19 praesentesque deos propius ipsumque tuemur,  
20 solus inexhausta qui lampade cuncta gubernat,  
21 Sol pater (unde etiam Solem dixere priores),  
22 et patria longe moderatur imagine mundum,  
23 idem rex hominum atque deum, pater omnibus idem,  
24 candida quem Thia, ut perhibent, Hyperione magno  
25 conceptum rapidas Acheloi fudit ad undas,  
26 ingentem ingenti et radiantem luce paterna.  
27 Nam, cum caelicolis Hyperion cognitus unis  
28 degeret, humanis contingi captibus exsors,  
29 qui nisi de bruto nequeunt capere augmina sensu,  
30 et tamen ignotus nollet per saecula latere,  
31 auricomum genitor foecundo lumine Solem  
32 edidit effigiemque sui formavit ad ipsam,  
33 per quem sublimes possimus tollere mentes  
34 metirique animo et conferre incognita notis,  
35 utpote naturae tantum qui visibilis anteit  
36 omnia, quam divos inter pater emicat omnis  
37 infra seque premit magnorum saecula deorum ;  
38 neve loco terras non conveniente vaporet,  
39 in media medium mundi regione locatum,  
40 umbrarum jussit, jussit confinia habere  
41 lucis et ignitos hac exercere jugales,  
42 unde queat propius tenebrosa accendere flammis  
43 et dare vicinum germanae lumen opacae :  
44 hunc dextra laevaue Anni Mensesque Diesque  
45 circumstant nutusque observant Tempora heriles.  
46 Ipse gravis quatiens gemmarum pondere habenas,  
47 ingreditur superis curru spectabilis aureo,  
48 qua patet obliquum medium via secta per orbem,  
49 certa premens certus vestigia : cedit eunti  
50 Continuo flectitque loco turba obvia divum,  
51 regales propius veriti contingere gressus,  
52 munificus licet immensi partitur honores  
53 inque ipsos mundi moderamina dividit ultro,  
54 commodus imperium multis tenuisse secundis,  
55 non tamen ut summae rerum invigilare suetus  
56 naturae partem totius negligat ullam :  
57 nam sublima inferna salutifer omnia flammis  
58 ipse suis lustrat lustrataque servat et auget,  
59 complexus terram atque auras caelumque profundum  
60 et quae mortales maria appellare solemus ;  
61 permixtusque tamen rebus contagia nulla  
62 accipit et cunctis visus dumtaxat inhaeret.  
63 Hinc et Sidonii, stellis genus acre tuendis,

64 fecerunt capti vicino errore ruinas  
65 Luciferumque omni privarunt corpore fontem,  
66 esse rati purae nimirum et simplicis actum  
67 mentis de propria mittentis lumina sede,  
68 ipsa etiam lux quandoquidem sit corpore cassa :  
69 nec vero, in morem rapidi cum fluminis acta  
70 omnia, materia faciente cupidine rerum,  
71 crescendoque fluant totiens crescantque fluendo,  
72 aut alio donante novas potuere sub auras  
73 surgere et aetatis contingere lumina laeta  
74 aut offecta mali volvendis mensibus anni  
75 rursus in antiquam posito squallore juventam  
76 luxuriare novasque iterum sibi sumere vires,  
77 cum primum tepidi sub tempora verna Favoni  
78 aura suum terris genitalem exsuscitat auctum  
79 adventuque dei gemmantia prata colorat.  
80 At pecudum genus omne viget, genus omne virorum,  
81 perculsi teneras anni dulcedine mentes,  
82 concurruntque obnixi inter se frontibus hedi  
83 et nova lascivo persultant pabula motu,  
84 nec liquidum tremulis concentibus aera cessant  
85 mulcere et laetum volucres Paeana sonare,  
86 contectae nemorum viridantibus undique ramis  
87 (et cum mane novo terras Sol exit Eoo  
88 visurus thalamo et cum seros vespere currus  
89 solvit et Oceano viduas commendat habenas),  
90 donec in humentes spatii declivibus Austros  
91 paulatim flexo secum trahat omnia gyro  
92 detque locum letho et rursus regna altera mundi  
93 atque alio terras longe beet orbe repostas,  
94 Natura prohibente moras rerumque suaque.  
95 Nam neque res, alia non deficiente vicissim,  
96 ulla potest dulces invisere luminis auras  
97 crescendoque aevum capere atque assumere vires,  
98 et vita coram (quid enim nisi vivida rerum  
99 vita satorque animarum aeternus Sol pater et fons ?)  
100 esse locum siquis letho putat, avius errat  
101 naturae procul a vera ratione vagatus.  
102 Ergo, corporibus ne tandem exhausta creandis  
103 sylvae cadat naturae aut Sol pater omnibus idem  
104 occupet in partem totis bona debita terris,  
105 alterno temone, cavi modo brachia Cancrionis  
106 ignit et aestivam rectus ferit inde Syenen,  
107 nunc pressum Aegocerotae, gelu regna horrida longo  
108 Saturni visit senis ignavaque pruina  
109 pigros exhortatur equos et verbera saevit.  
110 Interea medius magnum permensus Olympum,  
111 in coetum vocat atque imis annexa suprema  
112 componit docilis blandi dulcedine plectri  
113 diversasque uno partis tamen intertextu  
114 unit ab unius genitoris imagine magni ;  
115 et toto pater exercet commercia mundo,  
116 non tantum gravitate carentia pondere pressis  
117 aut sicca innectens humore fluentibus aut quae  
118 igne calent multo glacie torpentibus acri,  
119 verum etiam mortalibus aeterna atque caducis,  
120 omnia, qua patet immensi plaga lucida regni,  
121 complexus stabili per mutua vincula catena,

122 unde parens Natura et amica daedala lite  
123 semina, de pulchro revocato imitamine caelo,  
124 tot facies volucrum varias, tot saecula ferarum  
125 concipiunt, tot marmoreo monstra humida ponto,  
126 diffusasque beant cornu praedivite terras.  
127 Nam mentis vim divinam mortalibus aegris  
128 quis non aetherio de Sole intelligat esse,  
129 nunc quoque terrena videat cum mole gravatos  
130 mutari tamen ad mutati lumina Solis  
131 et pariter motusque omnis speciesque novare  
132 ad nutum patris et variari tempus in omne ?  
133 Ille genus vivat mortale, ille omnia sancta  
134 luce replet, visumque oculis rebusque colorem  
135 sufficiens, ligat ille benigna quaeque catena  
136 atque modis unit late bonus omnia miris,  
137 ille vices variatque annorum et gentibus aegris  
138 tempora metitur simul idem atque explicat idem  
139 factorum seriem et non exorabile pensum,  
140 lucida perlapsus caeli duodena per astra,  
141 permutatque vices et amaris prospera miscet,  
142 nunc felix mihi, nunc alii ; neque enim bona semper  
143 publica privatas possunt admittere curas  
144 et quid quisque sibi prudens fugiatve petatve,  
145 sed, qua sancta trahunt divinae commoda summae,  
146 ipse artes, ipse ingenium censusque viritim  
147 partitur variatque modis : nunc infima rerum  
148 tollere humo populique potens imponere habenis  
149 detractos opera atque alieni pondere aratri,  
150 nunc solio insignes patrio sceptrisque beatos  
151 deturbare loco et praesens damnare ruinae ;  
152 aut alacres raptare in bella virilia Martis  
153 et studio immani fusi exercere cruoris,  
154 aut caeci desideriiis infamibus auri  
155 incoquere ; hos animi exigui et rationis inanes  
156 desidia miseroque agitare cupidine rerum,  
157 hos cantu mulcere levi et suspendere hiantes  
158 Solis ad armenta atque inclusos utribus Euros  
159 infamesque dapes sociorum Ithacensis Ulyxei ;  
160 saepe animis inflare tumentibus aspera corda  
161 vicinoque ciere duello et pascere praeda  
162 nec leges nec dignatos communia jura,  
163 saepe modo ventri pecudum dare nequitiaequae  
164 et damnare leves stactae bene olentibus auris ;  
165 aut inopes, regno extorres, formidine lethi,  
166 heu, miseros variis tamen exagitare latebris,  
167 Bithynamque fidem et Ponti male tuta querentes  
168 hospitia (usque adeo paucis mors optima rerum  
169 intellecta atque illudit vitae improba Syren !),  
170 Aut cocco rapere immodico pictaeque nitore  
171 vestis honorati praestantes corporis auctu,  
172 sed nimios tamen et plebis formidine laetos ;  
173 interdum sine more, sine ordine mittere quosdam  
174 in scelus omne, novas laetantes nectere clades  
175 cladibus insanaque hominum incrudescere caede  
176 et praedas vectare et saevis tradere flammis  
177 omnia nec gnaros sociis nec parcere amicis,  
178 interdum facilesque animi morumque benignos  
179 clarare et trutina pendentes omnia justa,

180 et quibus indignum tenui insultare clienti  
181 et perferre malis turbantes quaeque rapinis ;  
182 nunc alios premere indecores nec nomine multo  
183 nec dignos fama et tamen intra tecta timendos,  
184 et quorum imperiosa domi fortuna paternae,  
185 quique sibi plaudant nimio plus et sua tantum  
186 mirati nil praeterea admittantve probentve,  
187 ignari prorsus parere et cedere cuiquam,  
188 nunc alios foedare libidine turpiter actos,  
189 non patriae natosve parentibus atque propinquis,  
190 non sociis, non ipsa vocatae in foedera lecti,  
191 spectaclis potius sed inanibus et male frugi  
192 pigritiae tantumque mero indulgere paratos  
193 atque joco et vacuos captantes undique risus.  
194 Jam quotiens aut regifico de culmine caeli  
195 vagitusque hausit primos et inertia membra  
196 fusa solo domina exceptit miseratus ab arce  
197 aut roseo jam tum exoriens prospexit ab ortu  
198 aureus et primo nascentem afflavit Eoo,  
199 ipse manu laeta deductum ad limina regum  
200 hortaturque animisque replet, ipse excitat acri  
201 spe dubiumque etiam rerum incertumque futuri  
202 insinuatque aulae atque inter regesque ducesque  
203 versantem nunc divitiis attollit opimis,  
204 nunc ultro fascesque fluunt dominaeque secures  
205 purpuraque ac missum externis de finibus aurum  
206 undantesque clientelae et fastigia rerum  
207 spem supra votumque animi ; quin aspera saepe  
208 signa virum, saepe innumerae stupuere catervae  
209 ductantem rigidos insana in bella maniplos,  
210 praesertim adverso Atlantis si litore fulsit  
211 Juppiter et, summum caeli Mavorte tenente,  
212 ipsa quoque angello quovis arrisit ab uno  
213 Luna vaporifera radiorum lampade plena.  
214 Nam neque tum fluvii objecti nec barbara claustra  
215 armatum tenere audacisve agmina Pori :  
216 qua via nulla, ruit praeceps et fulminis instar  
217 victor ad extremum ferro metit obvia Gangen,  
218 unus homo terris natus dare jura subactis.  
219 At frustra ingentes iras, frustra aspra potentum  
220 declines odia, infelix, generique tibi que,  
221 et tantum aerumnae prima damnatus ab hora,  
222 Herculeo quotiens pronus mare vespere sero  
223 natalem infecit, dum jam juga solvere prima  
224 nocte parat fessus caecis subeuntibus umbris,  
225 sudoremque viae puro lavit aequoris amne,  
226 suspensus cura fumantum totus equorum :  
227 tunc animi vitia exundant ingentia iniqui  
228 multiplicisque doli, tunc felle madentia corda  
229 pallentesque artus aegroque in corpore febris  
230 assidua et subitae fortunae exempla ruinae :  
231 omnia quae ut rapidi tamen inclementia Martis  
232 Saturnique auget tardum jubar (utpote uterque)  
233 infandisque hominum vitiis laetique ruina),  
234 avertit Venus et sancti Jovis aureus ardor  
235 Lunaque partiliter positu radiata benigno ;  
236 nec tantum avertunt, verum et praedivite fama  
237 nobilitant censuque beant et fascibus auctos.

238 Ipse gravis tantumque aspectu optandus amico,  
239 si tamen ex imo depressae cardine terrae  
240 viderit hoc caelum tunc primum haurire parantem,  
241 ne tibi rem tenuem, ne primae incommoda vitae  
242 suspira, puer, et meritis quod gratia nullis  
243 respondet quaesita : aderit sors laetior olim,  
244 cum te compositum jam tandem cana senectus  
245 excipiet sortisque hilarem votique potentem  
246 longaque pensantem fortunae vulnera laetis ;  
247 interea damna atque aetatis mille labores  
248 disce aequis perferre animis nec acerba parentis  
249 fata nec effusi jacturam horresce peculi,  
250 aut contra magnum impatiens contendere Solem  
251 perge, animosi Euri quem horrent et signa sequuntur  
252 sudumque pluviaeque et grandinis impetus acer,  
253 neu spera thure et multa prece flectere posse  
254 ferrea constanter servantem pensa Sororum,  
255 quamvis immeritos supremo tempore casus  
256 Graiorumque animo miserans modo tristia fata,  
257 avertit terris oculos confessaque luctum  
258 signa dedit maesta tenebrarum nocte volutus,  
259 tantum oculis scelus indignatus cernere rectis.  
260 Ergo non pietas illos, non inclyta facta  
261 virtutesque artesque et caelo cura vagata  
262 texerunt : cessere malis tot moenia flammis  
263 versa solo, tot caelicolum templa aurea divum,  
264 gensque virum terris et ponto nata tenendo  
265 projecti misere foedas pavere volucres.  
266 Et dubitem sancti in terris nihil esse fateri ?  
267 Ipsi, quos patriae excidio sors ultima rerum  
268 subduxit, tumulis proavorum avellimur, heheu,  
269 fortuna graviore et toto spargimur orbe,  
270 humanae exemplum vitae sortisque futuri.  
271 Quod si non regisque mei natiue benigna  
272 cura sit, ipsa ruat divinae gratia linguae,  
273 ipsae artes tantoque virum sacrata labore  
274 nomina Lethaeis abeant immersa lacunis.  
275 Illi reliquias monumentaque sancta Pelasgum  
276 colligere et saevis certant subducere fatis  
277 tantorum saltem decus ingeniumque virorum  
278 scriptaque divinas animi testantia curas,  
279 mortales supra captus mentemque caducam.  
280 Praesidium soboli certum quandoque renatae,  
281 Sol pater, et siquis misero deus aethere in alto est  
282 praeterea, nec cuncta carent mea pondere vota,  
283 hos saltem cinerum patriae excidiique misertos  
284 felices juvenemque suis servate patremque  
285 sedibus, immunes odii indecorumque laborum  
286 fortunae : at siquid gravius, pater, imminet, in nos  
287 vertite nec vita dignos nec luminis aura !

### LUNAE

3       totiensque dicta jam mihi Florentia,  
4               adeste supremum, rogo,  
5       dum pauca vobis, grata sed grati, ultimo  
6               mandata discessu damus,  
7       testati amica civium commercia  
8               et Medicis hospitium mei.  
9       O fida quondam tot cohors sodalium,  
10              duri levamen exilii,  
11       ego ne, relictis, heu miser, vobis, queam  
12              exilia perpeti altera ?  
13       Sed fati acerba vis ferenda fortiter !  
14              Duc, Hylle, mannos ocius,  
15       dum mane primus subrubet oriens novo :  
16              amo ego viatorem impigrum.  
17       Interea amicis hinc et hinc sermonibus  
18              viae levanda incommoda :  
19       vel tu virorum fortium aut laudes Deum  
20              incipere ; canentem subsequar.  
                  HYLLUS  
21       "Miles Gradivum cantat, opilio Palen,  
22              udus Lyaeum vinitor,  
23       Cererem perustus messor aestivo die,  
24              mercator undarum patrem,  
25       nos tot per alta nemora, per sylvas vagi,  
26              nemorum potentem Deliam."  
                  MARULLUS  
27       "Enses Gradivus sufficit, pascua Pales,  
28              libera Lyaeus pocula,  
29       pingues aristas flava gentibus Ceres,  
30              opes pater tridentifer,  
31       hunc lucis haustum Delia et sanctum jubar,  
32              Lucina dicta matribus."  
                  HYLLUS  
33       "Levisomna pubes, navitae, umbras temnite,  
34              temnite, viatores vagi ;  
35       at vos sub ima fugite (si sapitis) vada,  
36              vis, helluones, humida,  
37       dum noctis atrum Delia horrorem excutit  
38              et plena replet omnia."  
                  MARULLUS  
39       "Carpite cupita gaudia et fructus breves  
40              lacrimarum, amantes, carpite,  
41       nec tu laborem differ, agricola impiger,  
42              sylvaeque lignator sciens,  
43       dum fratris almo Delia amplexu silet  
44              tenebrisque densat omnia."  
                  HYLLUS  
45       "Quid tot figuras Carpathi, quaeso, senis  
46              miraris, hospes candide ?  
47       Non est leones, non sues miraculum  
48              induere, non rapidas faces,  
49       sed hanc eandem, numquam eandem quae prius,  
50              lucere cunctis gentibus."  
                  MARULLUS  
51       "Esto bimater, esto, Bacche candide,  
52              de patrio femore editus,  
53       esto juventae flore perpetuo nitens,  
54              imberbis annis omnibus,

55 cum mense semper dum nova exurgat novo  
56 totiens renata Delia ! "

HYLLUS

57 "Zanclaea tellus, sive tu Messenia  
58 mavis vocari, seu utraque,  
59 ecquid tot aestus saevientis aequoris  
60 vicina cum videas freto,  
61 nostrae potestas quanta sit sentis deae  
62 Oceani in ultima aequora ? "

MARULLUS

63 "Facunde, magni, Mercuri, Atlantis nepos,  
64 cui limina utraque pervia,  
65 ecquid nigrantis regna cum peragres soli,  
66 cum lucidum unus aethera,  
67 nostrae potestas quanta sit sentis deae  
68 geminae potentis machinae ?  
69 Sed haec triformi sat deae : nunc iter, age,  
70 coeptum sequamur ocius,  
71 vias precati prosperas tamen prius  
72 laetam viarum Deliam."

#### HYMNORUM NATURALIUM **LIBER QUARTUS**

##### **AD ANTONELLUM SANCTOSEVERINUM PRINCIPEM SALERNITANUM**

H4\_01A v.1 Si tuus est vates, si cuncta volumina vatis,  
2 quaeris praecipue cur tuus iste liber ?  
3 Sol quoque cuncta regit, solis tamen unica sedes :  
4 haec eadem regum est, quae superum est ratio.

##### **AETHERI**

H4\_01B v.1 Jam fessa longa, Pieri, nenia  
2 duraeque planctu, Melpomene, fugae,  
3 concede poscenti sorori  
4 barbiton in breve multichordem,  
5 dum, post supremi regna Jovis bona  
6 ipsumque et olim lucida sidera  
7 cantata, nunc rerum benignum  
8 aethera concinimus parentem.  
9 Magnum nec ulli auditum opus antehac :  
10 sed me volentem nomina patriae  
11 hortantur attentata nulli  
12 antra sequi vacuosque saltus,  
13 pigetque trita vatibus orbita  
14 versare cretos semine Pegasi  
15 currus, paternarum viarum  
16 immemores volucrisque pennae.  
17 Nam quo Pelasgi gloria sanguinis,  
18 si non futuri gens quoque temporis



19 agnoscit auditos et ipsa  
20 voce probat sibi teste Graios ?  
21 Verum unde primum exordia carminis  
22 sumenda coepti, quod medium mihi,  
23 quae rebus in tantis canenti  
24 ultima erit quasi meta laudum ?  
25 Chaosne caecum prosequar et rude  
26 rerum volumen, cum mare, cum sola  
27 ignesque et aurarum potestas  
28 mixta pigro jacuere acervo,  
29 donec malignis conditionibus  
30 offensus Aether molis inutilis,  
31 levatus in sublima mundi  
32 constituit sua membra rebus ?  
33 An nunc ut udum versus in aera  
34 transit, figuras sumere quas velit  
35 sciens, modo argentes coactus  
36 in fluvios latices perennat,  
37 idemque posto rore friabilis  
38 turrets Cybele sustinet arduas,  
39 idem peracto rursus orbe  
40 in solitos remeat vapores ?  
41 An ut fluentis semina machinae  
42 complexus aequis undique nexibus,  
43 diesque et aetates per omnis  
44 versat agens variatque cuncta,  
45 longoque rerum commodus ambitu,  
46 quae pigra quondam attollit et augmine  
47 fecundat inter se jugata  
48 materiae male viva membra,  
49 unde haec, perenni fonte velut scatens,  
50 tot saeculorum daedala copia,  
51 tot rerum ab excelso petita  
52 seminii meliore parte,  
53 et quae benignos frugiferae sinus  
54 telluris et quae stagna liquentia  
55 latumque pendenti volatu  
56 aera quae decorant volucres ?  
57 Nanque ipse cunctis ut pater et pius  
58 altor peregre, sic penitus domi  
59 nequicquam anhelos inter aestus  
60 crescere quid patiensve oriri,  
61 felix abunde simplicis imperi  
62 nitentis una laude domestica  
63 formaeque de nullis petitae  
64 illecebris aliunde rerum.  
65 Verum sequentem, par uti, singula  
66 dies volucris deficit interim,  
67 vocatque jamdudum coruscans  
68 Juppiter in sua sacra vatem ;  
69 quare, precati gentibus, o bone  
70 Aether, benignum te prius (ut facis)  
71 laetumque, vocalis quod instat  
72 exsequar Aonidum sacerdos.

## IOVI FULGERATORI

H4\_02 v.1 Dicturus Jovis optimi  
2 laudes eximias, sume animos, age,  
3 vates, et Jove maximo  
4 dignum prome chely multiloqua sonum,  
5 si quaeris volucrem fugam  
6 annorum et strepitus morte potentior  
7 amnis spernere luridi,  
8 ascitus meritis Pieridum choris.  
9 O Ithomie maxime,  
10 sancti progenies alma Hyperionis :  
11 quem mater genuit Rhea  
12 olim fagiferis rupibus Arcadum,  
13 mox quamvis metuens scelus  
14 servandum Losiis virginibus dedit,  
15 lascivique pedis Nedae  
16 Thisoaeque bonae, et quae jaculo leves  
17 misso figere dorcadas  
18 agno docta, chori virginei decus.  
19 Nam, caelo solitus quia  
20 natos inserere et concilio deum  
21 clam consorte tori, pater  
22 vesci pignoribus creditus est suis :  
23 nec vicinia garrula  
24 deerant et famuli, vaniloquum genus,  
25 (rara saepe adeo fides !)  
26 firmantes oculis singula testibus.  
27 Ergo muneris anxiae  
28 Nymphae, quas dubias hinc amor, hinc metus  
29 angit, non sibi virgines  
30 ausae, consiliis credere non suis,  
31 in partem socios spei  
32 Curetas, juvenes Gnosiacos, vocant,  
33 Curetas neque dextera  
34 segnes nec vigili pectore inutiles.  
35 Quorum multa domi licet  
36 major militiae gloria splendidae,  
37 ii certaminis impares,  
38 quod possunt (quid enim contra Hyperionem  
39 mortales aliud queant ?),  
40 infantem violis tectum et amaraco  
41 Nymphis dant alere abditum  
42 secretis latebris Creteaci specus.  
43 Ipsi, ne rudis artium  
44 vagor consilium ponat in irritato,  
45 patris proditus auribus,  
46 armati in numerum ter choreas leves  
47 plaudunt, ter cava cymbala  
48 pulsant in numerum tentaque tympana.  
49 Et jam lampade torrida  
50 fulgebat medio Sol pater aethere  
51 fraudum conjugis inscius,  
52 cum fessos choreis assiduis sopor  
53 tandem languidus occupat :  
54 hic omnis juvenum effusus abit labor.  
55 Namque audita simul patris

56 vox aures pepulit, pene simul, puer,  
57 in fumos volucer fugis,  
58 sublatus nebularum ex oculis modo.  
59 Planxerunt facinus deae,  
60 planxit Creteaque et Sithonia nive  
61 Lycaeus pater albicans  
62 plangebantque deae maestaque Cretea :  
63 cuncta nox adeo premit !  
64 Ipse flammiferis per liquidum aera  
65 purgatus radiis patris,  
66 qualis deposita vere nitet novo  
67 serpens pelle decentior,  
68 aegris jura viris, jura dabas deis  
69 subnixus solio aureo.  
70 Hic, cum saeva manu fulmina traderet  
71 venturi genitor sciens,  
72 "His terras", ait, "his, nate, potentia  
73 olim concuties freta  
74 iratus, scelera his impia vindices  
75 Titanum et rabidas minas  
76 immanisque Gigae et purpurei trucis,  
77 cum caelum manus impia  
78 audebit sceleris poscere praemium ;  
79 magnorum neque enim deum  
80 quanquam sceptrum tenes, quanquam hominum genus  
81 unus et regis et juvas,  
82 tantum flagitii aut consiliis tuis  
83 flectes aut reverentia :  
84 utendum valido fulmine, nate, erit.  
85 Hoste sed tamen impigre op-  
86 presso et flagitii auctoribus, ut decens,  
87 digno supplicio datis,  
88 ne saevi, moneo, progenies mea,  
89 ultra, neve puta magis  
90 quicquam et rege hominum et caelicolum patre  
91 dignum quam cupere omnia  
92 servare atque adeo ignoscere plurimis.  
93 Jam quae gloria fulmina  
94 torquenti, invalidum in vulgum animis rapi,  
95 nec saltem Libycae modo  
96 exemploque leae parcere segnibus,  
97 cum stent alta Ceraunia  
98 inconcussa jugis, cum aeriae undique  
99 tot quercus nemora occupent  
100 vicinisque negent roboribus diem,  
101 tot delubra minantia  
102 ipsis sideribus, tot pateant sacrae  
103 moles turribus arduis,  
104 quis et tela queas et validam manum  
105 exercere decentius  
106 multo vel Phlegyam perdere quam trucem ?  
107 Illuc horrida fulmina  
108 torquenda et validis viribus ignium  
109 rumpendae aeriae minae  
110 saxorum, scopulis ut scopulos suis  
111 disjectasque procul graves  
112 tot moles subiti turbinis impetu  
113 gens mirata, virum scient

114 et regnare Jovem et mittere fulmina,  
115 exemproque simul deum  
116 assuescant miseris parcere civibus.  
117 Quin, siquando deum minae,  
118 ut fit, vis gravior siqua duellica  
119 aegris gentibus imminet,  
120 tunc et deciduo sidere rem palam  
121 signare et vacuum aera  
122 nunc ignire facis fulgure splendidae  
123 memento, modo fertilis  
124 in morem paleae accendere, quam catus  
125 dulces saepe reconditas  
126 post messes subitis agricola ignibus  
127 olim tradit inutilem,  
128 nunc alta gelidi de Boreae domo  
129 dirum immittere caelitus  
130 omen, sanguineae triste jubar comae.  
131 Non tu, nate, graves vices  
132 regnantum (neque enim fas) miserarier,  
133 quos quandoque animus nocens  
134 in praeceps ita aget sanguine civico  
135 devotos patriis deis  
136 et nullis hominum de spoliis minor  
137 argenti sitis improba,  
138 nullum non licitum, quod libuit, nefas ;  
139 adde pectora inertia  
140 expertesque animos et reverentiae  
141 divum et justitiae sacrae,  
142 quaeque est sancta bonis usque adeo fides,  
143 ut jam non homines magis  
144 dicendi, gelidae quam Scythiae horrida  
145 quae dumeta colunt ferae :  
146 hoc sed, nate, magis, tam meritam nihil  
147 plebem commiseratus et  
148 damnatos populos servitio gravi,  
149 saltem commonitu Jovis  
150 assuescant lacrimas ebibere ut suas ! "  
151 Dixit, et subitis pater  
152 avertit lacrimis ora madentia.  
153 At tu, seu Capitolii  
154 rupes sive tenes flumina Olympiae  
155 Saturnique patris jugum,  
156 mitis, sancte, precor, Juppiter, huc ades.

#### IUNONI

H4\_03 v.1 Junonem canimus, deae,  
2 Junoni meritum dicite, quaesumus,  
3 carmen, vos licet innubae,  
4 consors illa tori magnanimi Jovis :  
5 quamvis ipsa quoque innuba  
6 mansisset, studium sed nimium obstitit  
7 et matris pietas Rheae.  
8 Saepe illi genitor : "O mihi me magis  
9 cara, jam puerilium

10 tandem desine", ait, "Quid, genus aetheris  
11 et jam fertilibus tori  
12 tempestitiva bonis, languida adhuc tamen  
13 lassas brachia Tameni,  
14 et matris residens in gremio senis  
15 Geronteia Punica  
16 tractas, bima velut ? Sunt sua singulis  
17 annis tempora, sunt sui  
18 mores, nec, decuit quicquid heri, decet.  
19 Quin, jam si sapis, indue  
20 quam gestura deum, nec Pheneum polo  
21 praefer aut monitis meis  
22 matris degeneres blanditias tuae."  
23 Illa non ideo magis  
24 assueto potis avellier est sinu,  
25 materna sed enim modo  
26 picta veste manu, saepe coercitis  
27 in nodum aut Zephyro datis  
28 aut flexis tenues ordine in anulos  
29 per vices varias comis  
30 gaudens, caelicolum commoda negligit,  
31 quamvis nec leporem sequi  
32 interdum et celeres per juga capreas  
33 nec ignava liquentibus  
34 Stymphali tenerum mersa latus vadis  
35 sudorem lavere impigrum.  
36 Et tunc forte, deum sic volentibus  
37 fatis, nuda Erasiniis  
38 pellucebat aquis quale ebur Indicum  
39 inclusum tenui vitro,  
40 cum vidit simul hanc et cupiit simul  
41 frater ; sed nimium tamen  
42 festinata verens tempore non suo  
43 interrumpere gaudia,  
44 primis spem latitans distulit in rubis,  
45 donec lassula aquis dea  
46 vicina posuit sub platano latus.  
47 Tum vero exsiliit lupus  
48 ceu quondam procul aspecta ove Martius  
49 aut Gangetica belua  
50 Scymnorum trepidum sicubi nacta prae-  
51 datorem. Illa dolore diu  
52 amens marmoreae persimilis stetit :  
53 at mens est ubi reddita  
54 et cum mente nefas ante oculos fuit,  
55 maternone puella metu  
56 incertum mage confusa pudore ne,  
57 involvitque diem nigrae  
58 obtentu nebulae et septa pigerrimo  
59 circumclauditur aere  
60 Mortis certa, nisi Pythius omnia ex  
61 alto prospiciens pater  
62 avertisset atrox propositum deae,  
63 sublatam aetheriis plagis  
64 solatus : nihil hic aut odio aut dolo  
65 admissum, omnia sanguinis  
66 fraterni atque adeo plena fide bona ;  
67 nec vero pelagi arbitro

68 Amphitritem aliter aut aliter datam  
69 Tethyn Oceano seni ;  
70 tantum ne thalami nomina caelibis  
71 demirata, aliud scelus  
72 quam extremum et populi flagitium levis  
73 detestabile crederet,  
74 naturae placitis non dare brachia.  
75 "An tu", inquit, "rogo, munere  
76 materno edita, non quod prior accipis  
77 porges grata sequentibus,  
78 integro veluti fessula lampadem,  
79 fraudabisque sui, impia,  
80 aevi parte, parens, sic tua viscera ?  
81 Quid, quod haud nisi protinus  
82 defectus sterile est, nec numeris sine  
83 virtus stare potest suis ?  
84 Nam, siquis Venerem omnem oderit, ut bono  
85 quaerendo hinc melius vacet  
86 nec transversus eat non animis semel  
87 congressus paribus deae,  
88 jam virtutis iners deseruit locum,  
89 nec frustra videt inspici  
90 naturam et varias seminii vices,  
91 frustra stelligeras domos  
92 dimotumque procul visibus aethera,  
93 ni, tanto studio erutum  
94 unde idcumque libet, denique saeculi  
95 sanctis cesserit usibus :  
96 tantum commoditas publica habet boni,  
97 haec quamvis hominum tamen,  
98 quos terrena gravant nubila pectoris.  
99 Nam quis, quaeso, ferat deum ae-  
100 ternum aut justitia quaerere prodita  
101 virtutem aut, medium nisi,  
102 si quicquam modo sit, credere quod decet ? "  
103 Sic fatus gremio pater  
104 impostae oscula libavit. Et ecce jam  
105 germanus quoque venerat  
106 facturus thalamo criminibus satis,  
107 torve quem licet intuens,  
108 sensit nescio quid plus solito tepens  
109 imis pectoribus dea :  
110 sed non dum tamen aut humor abit genis  
111 aut suspiria pectore,  
112 quae longe radiis pulsa pater suis  
113 in ventos animat leves  
114 paulatim et varios distribuit locis.  
115 Illi ortus memores sui  
116 circumstant dominam nunc quoque seduli,  
117 siquando varias Jovis  
118 plorantem insidias furtaque viderint,  
119 quamvis plurima dissident,  
120 nec mens omnibus aut consilium est idem.  
121 Nanque hic aestifero die  
122 excitus lacrimas nubilus aggravat,  
123 ille durior ingeni  
124 solaturque deam et nubila discutit  
125 frontis aut lacrimas gelat

126 grata fulgidulis virginibus nive.  
 127 Pars ipsi pelago gravis,  
 128 per quod vecta suo Sidonis est bove :  
 129 ipsis multiparae solis  
 130 terrae, semina quae et materiam novis  
 131 blanda nutrit amoribus  
 132 aut flabris ruit aut praecipiti omnia  
 133 sternit grandinis agmine  
 134 et foedam illuviem nube rotat cava :  
 135 maerent prataque roscida  
 136 vastata et nemorum strage virentium  
 137 passim squalida stant sola ;  
 138 ipsi, nunc humeros nunc latera ardua  
 139 pulsati, aerii undique  
 140 montes vix capiti pestiferam luem  
 141 defendunt dubii geli,  
 142 impexam laceri sic quoque non semel  
 143 menti canitiem hispidi  
 144 et collo positam multijugo comam.  
 145 Salve, maxima caelitum,  
 146 Juno sancta, eadem digna Jove optimo  
 147 conjunx atque eadem soror,  
 148 humanumque genus, quandoquidem omnium  
 149 pollens, tum pecus et sata  
 150 et stirpes facilis laetaque sospita.

#### OCEANO

H4\_04 v.1 Quo te, profundi rector, Oceane, aequoris,  
 2 rerum pater sanctissime,  
 3 quo carmine, inquam, nunc mihi, quibus vocem  
 4 gratus Camenarum sonis,  
 5 impar, tot olim solvar in linguas licet,  
 6 quot ipse in alta flumina ?  
 7 Verum nec ipsi visa caelitum patri  
 8 indigna Baucis hospita,  
 9 cum supplicarent plurimi passim aureo  
 10 cratere et extis pinguibus.  
 11 O quadriformis machinae altor unice,  
 12 seu fonte jugi profluis  
 13 ipsisque terris editus terras alis  
 14 gemino coercens ambitu,  
 15 stagnante nutris cuncta seu potius vado  
 16 tot saeculis tamen manens,  
 17 nec te perusti minuit aut fervor soli  
 18 divesque arenarum Aethiops  
 19 aut ipse sanctis pastus aestuariis  
 20 aether tot ignium face.  
 21 Nam quid Charybdis impias dicam minas  
 22 ausisque Rhoeti par scelus,  
 23 cum bis resorbens cuncta adhuc tegens fretum,  
 24 bis Nereo extrema minitans,  
 25 non ante visa tot aetheri ostendit sola,  
 26 jam pene votorum rea,  
 27 ni tertio haustu faucibus patentibus

28           instar Laconici specus,  
29       misso tridente guttur horrendum ferae  
30           fixisset aequoris arbiter ?  
31       Illa et dolore percita et rabie sua,  
32           hostem acrius contra movens,  
33       haustumque pontum evomuit et telum simul  
34           in ora bellantis dei ;  
35       quod ni canorae buccinae objectu patrem  
36           Triton obumbrasset citus,  
37       insignis ille clade funesta dies  
38           Neptuno et undis fulserat.  
39       Tunc fama primum cognitum littus salo  
40           visosque Nereo margines :  
41       nam saeva pugnae damna praeter asperae  
42           gravavit et Tethys malum,  
43       quae clade monstri territa inopina novi  
44           sibique jam timens dea,  
45       vastis aquarum septa circum molibus  
46           terrarum in ima fugerat.  
47       Nam mox maritae et ipse Neptunus prece,  
48           quamquam repressa belua  
49       (quid non venena uxoriam atque artes queunt ?)  
50           huc vim liquentum transtulit  
51       locumque Phoebos cuncta turbandi dedit  
52           amore Terrae saucio,  
53       seu mallet aequor rapere seu corrumpere  
54           flammis perustum torridis,  
55       donec tot aegra patruum Phoebe malis,  
56           postquam monendo haud proficit,  
57       conversa in iras : "Ecquid et nos contra", ait,  
58           "artes valebunt pellicis ?  
59       Quod nisi alienis abstinet frater manus,  
60           sciet esse non uni jecur :  
61       non sic profana sacra miscuit dies  
62           Errorque longus caelitem,  
63       ut ipsa quoque jam regna Saturni senis  
64           cedant probrosis noctibus."  
65       Sic fata, aquarum concitabat agmina  
66           rogantia ultro ut duceret :  
67       tantum impotentis imperii Phoebus sibi  
68           odiique et irae fecerat !  
69       Sed vetuit ultra Carpathi procedere  
70           prudens futurorum senex,  
71       virtute multum qui ducis pro tempore  
72           sermone laudata gravi,  
73       jussisque posthac fluctibus meritam optime  
74           quocumque Phoeben subsequi,  
75       olim haec deorum debita docuit omnia  
76           fatis moveri nesciis :  
77       neque enim vel aras aliter aeternis deis  
78           vel thura sperandum pia  
79       meritis tandem victimas dignas suis,  
80           longis dierum amfractibus.  
81       "Quin te quoque", inquit versus ad ducem, "manent,  
82           manent honores debiti,  
83       potensque Deli dicta, non tamen potens  
84           Deli fereris unius."  
85       Haec ille, et altum desilit in aequor senex,



86 parentibus cunctis deo.  
87 At tu, beate Oceane, pars rerum optima,  
88 idem creator omnium,  
89 idem altor, adsis dexter et precantium  
90 benignus exaudi preces.

#### TERRAE

H4\_05 v.1 Extrema est dea Terra mihi quoque jure canenda,  
2 ultima, sed meritis quae primos aequet honores :  
3 turriferens, fecunda, potens, quam nomine Magnae  
4 sacrarunt veteres adyto monstrante Parentis,  
5 sive quod inde hominum gnatum genus, inde ferarum,  
6 quaeque virent campis herbae, quaeque ardua sylvae  
7 Taygeta horrentisque tenent pineta Lycaeii,  
8 unde animale genus generatim vivit adauctum,  
9 sive quod, omnia cum interdum mortalibus aegris  
10 irasci atque modo soleant furere acta novercae,  
11 una pios tenet affectus sine fine parentis  
12 indulgetque suis, una exagitata quiescit  
13 scrutandosque sinus impune et viscera praebet  
14 (usque adeo scelera interdum leve ferre suorum est !),  
15 quamvis utiliter Stygio tegat illa baratro  
16 plurima materiem tantarum haud inscia cladum.  
17 Hinc neque deformes junxerunt curribus ursos  
18 nec grege de molli capreas cervosque fugaces,  
19 sed fulvis horrenda jubis generosa leonum  
20 colla, quod egregiis quantum quisque eminet ausis,  
21 aequius hoc debet senium grave ferre parentum.  
22 Nam bijugis invecta, nihil nisi vincula bina  
23 aurarumque profundarum laticisque liquentis  
24 significat terras atque inter lucida templa,  
25 quis innixa suo medio est neque pondere pressa  
26 desinit a fuso circum pendere ligatu,  
27 undique flammaram spatiis distantibus aequae.  
28 Nec vero sine consilio causaque potenti  
29 omniparae steriles matri servire catervas  
30 crediderim : neque enim curam gerat ille parentum,  
31 interea stimulis viroque agitatus amoris  
32 siquis, et ingratos qui ponere nesciat ignes.  
33 Adde quod, ut superos, ipsos quoque sola parentes  
34 delectant pura, a superis qui proximus ordo est ;  
35 adde quod officium natis praestamus habendis  
36 Nostra sponte bona (quis enim hoc dubitaverit unquam ?),  
37 nec nisi Naturae memores plerumque novercae,  
38 at matri quaecumque accepta rependimus ante :  
39 ingrati prorsus, nec vitae munere digni,  
40 siquos progenies sperataque cura nepotum  
41 ubera quam matrisque piaie studiumque fidele  
42 prae movet et decimum in mensem tolerata pericla,  
43 ante repentino caeli quam territum haustu  
44 vagiat aetheriam in lucem novus editus infans,  
45 cum projectus humi nudus jacet, indigus, exsors  
46 auxilii, infirmusque pedum infirmusque palati,  
47 atque uno non tantum infelix, quod sua damna

48 non capit et quantum superat perferre laborum :  
49 et dubitem caris debere parentibus omnia ?  
50 Aut aliud totque aera putem crepitantia velle  
51 aeribus armatasque manus et cymbala circum,  
52 quam partes armis maternaque jura tuenda,  
53 nullius in nostras admissis vocibus aures ?  
54 Quid, quod Oaxeis contectus Juppiter antris  
55 ereptumque patri jus et tam prompta juvenus  
56 Curetum contra Saturni regia jussa,  
57 de plano monet, interdum vel morte parata  
58 tormentisque piae matris commissa tegenda ?  
59 Tantus honor sancti reverentia nominis haec est,  
60 ipsum quo rectorem etiam appellare deorum  
61 non piget atque hominum magnum usurpare parentem.  
62 Verum quid juvat eximie jam vocibus uti,  
63 si pia tam foedis sceleramus nomina factis  
64 turbamusque malis inter nos quaeque rapinis,  
65 partiri communem ausi per vulnera matrem ?  
66 Hinc versum fas atque nefas scelerataque bella  
67 invasere, tenet furor exitialis habendi  
68 luxuriesque, nec imperii spe turbidi inanis  
69 cessamus placidam gentis turbare quietem,  
70 immemores eadem in terra mox esse cubandum  
71 omnibus, assueta ducibus confundere egenos  
72 affectuque pari natos quoscumque fovere  
73 materno exceptos gremio per saecula longa.  
74 At tu, magna parens, quando omnis adempta quietis  
75 Spes aliter, jam tandem adsis et nos quoque humatis  
76 adjice, tot duros genitrix miserata labores.